

virum Aquilam dictum, Britannicum imperium, post Saxones, & Normannos ad veteres Britanos denuo recasurum hic prædixisse volunt, qui vel Saturno hoc esse vetustius contendunt, cum tamen ab Alfredo constructum suisse sit certo certius. Malmesburiensis enim Historicus sua ætate lapidem vetustum ex muri ruinis in Sanctimonialium Capitulum translatum prodidit, sic inscriptum,

A N N O D O M I N I C A E I N C A R N A T I O N I S Æ L F R E D V S R E X F E C I T H A N C V R B E M D C C L X X X . R E G N I S V I I I .

Hanc inscriptionem Iubentius ad veritatem afferendam adjunxi, quod in omnibus, quæ vidi, exemplaribus, desideratur, præterquam uno solo Domini Burghlæi summi Angliae Thesaurarii.

Baro Howard de Marnhill.
Stourminster.

Berones.
Fitz-Payn.
Baro
Brent.
Barones
Poynings.

Blandford

Vindogla-
dia.

winburne.

Inde Stourus per Marnhill, unde Henricus Howard titulum Baronis Howard de Marnhill, priusquam Comitis Northantoniae illustraretur, accepit, Stourminster petit, id est, Monasterium ad Stourum. Exile oppidum humiliore situ, cui ponte saxeo conjungitur Newton castrum, ubi moles magno labore aggesta eminet, sed castri ne tantillum præter nomen supereft. De his nihil antiquius occurrit quam quod Ælfredus Rex Stourminster filio suo juniori legaverit. In proximo ad Silleston duo satis magni surgunt colles, alter Hameldon, alter Hodde dictus, uterque triplici vallo firmatus. Nec longe, locum designare non possum, fuit Okeford caput Baroniae Roberti filii Pagani, vulgo Fitz-Payne, qui filiam duxit Guidonis de Brent, qui etiam Baronis honore hoc occiduo tractu, sub Rege Edwardo III, floruit, sed deficientibus Fitz-Painorum masculis ad Poynings ea etiam ætate Barones, & per eorum filiam tandem, regnante Henrico VI, in Perciis Northumbriæ Comitibus hi tituli Baronum Fitz-Payne, Brent, & Poynings coaluerunt. Patrum tamen memoria, beneficio Henrici VIII, Baronis Poynings dignitas in Th. Poynings viro bellico & illegitima proliis fecundo refloruit, & statim cum illo evanuit:

Hinc per Briefton, id est, Brentii oppidum, sedem antiquæ equestris familie Rogersiorum, Blandford forum adit Stourus, quod ex quo nostra memoria fortuito igne deflagravit, elegantius surrexit, & habitatoribus est frequentius. Inde per Tarrent, ubi virginibus sacris Richardus Poërius Sarisburiensis Episcopus posuit monasteriolum, citato cursu ad antiquissimum oppidum VINDOGLADIAM, cuius meminit Antoninus, prope rat Stourus. Quod Saxonice synburnham, vulgo VVInburne, & à monasterio VVInburnminster, exacteque hinc ad Dorchester XVI milliaria numerantur, quot inter VINDOGLADIAM, & DVRNOVARIAM interponit Antonini Itinerarium. Nomen vero à situ factum conjicio, quod inter duo flumina intersidet. VVindugledy enim Britannice inter duos gladios sonat. Fluvios autem à Britannis gladios peculiari phrasí appellari, Milfordici portus nomen Britannicum Aberdugledian docet, id est, Ostium duorum gladiorum, eo quod duo flumina Cledian, id est, Gladii dicta, influunt. Nomen item recentius à fluminibus du-

ctum videtur, Win-burne enim coaluit à particula antiqui nominis Vin, & Saxonico Burne, quod illis rivum significat, & ejus adjectione soliti sunt Saxones loca ad flumina denominare. Oppidum ipsum ad collis ramentum sedet, amplum & magna habitorum multitudine refertum. Saxonico saeculo celeberrimum fuit, nec alia, credo, de causa, quam quod Romanæ majestatis tunc temporis præ se tulerit indicia. Anno DCC XIII, Cuthburgo Inæ Occidentalium Saxonum Regis foror, cum conjugii pertæsa viro suo Northumbriæ Regi repudium misisset, Monasterium virginibus hic posuit; quod cum tempori cessisset, nova eo loci surrexit Ecclesia cum pulchra sub choro crypta, & pyramide, præter turrem sacram, excelsa, in quam introduci pro virginibus Præbendarii. Quibus patrum memoria præfuit Reginaldus Polus Decanus, qui postea Cardinalis, & Archiepiscopus Cantuariensis, supra familiæ splendorem (regio enim sanguine natus erat) pietatis, prudentiæ, & eloquentiæ gloria in primis floruit. Etheldredus Rex princeps longe optimus frater Alfredi in prælio ad VVtingham contra Danos cæsus, in hoc templo conditur, ad cujus tumulum, qui non ita pridem restauratus, hæc legitur inscriptio,

IN HOC LOCO QUIESCIT CORPUS S. ETHELDREDI REGIS WEST SAXONUM MARTYRIS, QUI ANNO DOMINI DCCCLXXII. XXIII. APRILIS PER MANUS DANORUM PAGANORUM OCCUBUIT.

Iuxta quem sita est Gertrudis Marchionissa Exoniæ, mater Edwardi Courtenæi postremi ex ea familia Comitis Devonie; & ex altera parte chori Ioannes de Beaufort Dux Somersetti cum uxore, cuius filia Margareta Comitissa Richmondiæ mater Henrici VII, princeps pientissima scholam hic erudiendæ juventuti instituit. Sed à templo ad oppidum stylum vertam. Cum Dani malis artibus Anglos inter se bello committere conarentur, & conjunctionem inter Regem Edwardum Seniorem, & Æthelwaldum ejus cognatum dirimerent; Æthelwaldus regnandi libidine percitus, & aversissimo à Principe suo animo, hoc quantis potuit operibus communivit. Sed ubi primum Edwardus cum suis accessit, & ad Baddan-byng, quod nunc Badbury, castra posuit; ille fuga se ad socios Danos proripuit. Badbury autem ille collis duobus vix Badbury, milliaribus abest triplici vallo incinctus, castrumque, ut ferunt, olim habuit Regum West-Saxonum sedem. Quod tamen (si modo fuerit) ita suis ruderibus sepultum jacet, ut ne vestigium viderim.

In proximo autem vidimus villam Kingfton, Laceiorum dictam, quod ad Laceios Lincolnia Comites una cum Winburna spectavit, ad quos transactione per Quincium Wintoniæ Comitem à Leicestriæ Comitibus devenit. Rex enim Henricus Primus Roberto Comiti Mellenti & Leicestriæ dederat: & à Laceis tandem utrumque ad Lancastrensem familiam devenit, quam sibi perbenignam, ut dixi, sensit VVInburna.

A VVInburna Stourus Aenum amniculum admittit, cui incumbit S. Giles VVInburn, habitatio clausa.

Burne
quid Sax-
onibus.

Annales
Anglo-
Saxonici.

Kingston
Lacy.

Affley Ba-
rones.
Maltra-
vers.